



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Sua æquiſimo animo tolerat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

me, inquit, homines faciunt, cum tam multi sint
 illic docti, idoneique viri. Nec tamen quicquam
 sumpsit quietis, donec rescripsit, remedia quæ-
 dam proponens, ac deinceps pro ea preces ad De-
Sua equissimo
animu tolerat.
 um promere non cessauit. Tantam in malis alie-
 nis cum adhiberet misericordiam, parem adhi-
 bebat in suis patientiam. Omni tempore benedi-
 cebat Deum: semper Dei laus in ore eius. Totum
 corpus, sed pedes fœdissime intumuerant, Laus
 Deo, aiebat, quod tam pinguis sum. Cumq; mor-
 bus ingrauesceret, semper laus Deo sit, augescit
 morbus. Quicquid ei adhiberetur ministerij, cō-
 tentus erat; Deoq; laudes, & gratias persoluebat.
 Forte per longiorem absentiam fratris, à quo cu-
 rabatur, lapsus è sella, cum vires ad se se erigēdum
 non sufficerent, diu sic humiliacuit: vbi ille rediit,
 & subleuatus est, vñ hoc dixit, Gratias ago Deo,
 quod me tandem solum reliquit: sed nihilo minus
 inter nos, quæ adhuc fuit caritas, posthæc perma-
 nebit. Interrogatus quare semper benediceret
 Deo, non & aliquando suas cum eo miserias que-
 reretur, statim subiunxit, Non mi frater: Ego sem-
 per Deum etiam in aduersis laudare consueui.
 Attenuatū sic erat corpus, vt nec sedere iam, nec
 recum-

recumbere sine dolore posset, nec raro multum cutis, ægre cohærentibus ossibus, detereretur. Igitur in eo cruciatu noctes, ac dies agenti, forte excidit; Frater, nōne possemus aliquid mollius substernere? Vixq; finierat, cum continuo tanquam experrectus reprehendit se se, subiecitque, nihil præterea, nihil est opus: corpus non tam indulgenter tractandum est. Medentibus singularem præstabat obedientiam: quanquam interdum diceret, silicernio non opus esse medicamentis, quod migrandum esset ad Patres.

Cibo ita vtebatur exiguo, ut eo videretur humana vita naturaliter tolerari nō posse. Vix enim Octiduo tantum sumebat, quantum aliis qui-
Cibi minime
parcitur.
uis vnico prandio: ac sæpe numero pransus permodice more suo, ad insequentis diei prandium nihil prorsus seu cibi, seu potionis gustabat. Haud minori miraculo erat abstinentia hominis senis à vino: nam & per pauxillum id, quod adhibebat plurima aqua perdebat magis, quam diluebat. Nec semel per administri obliuionem euenit, ut nulla re ad bibendum apposita siccus obduceret dies: eoq; nec suam prodente sitim, nec alienam incuriam querente, sero iam aliunde res noscere-

Cc 2 tur.